

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0924

0922

0928

0918

0933

0913

0973

0873

1023

0823

0423

Ende

Anfang

351

eleemosynas pro sustentatione peregrinorum in honore patriarcharum, et divites morituri suas perpetuas memorias ad illum locum constituunt et legata faciunt pro hospitali. In hora autem, qua danda est eleemosyna, concrepant terribili symphonia et tympano, quod nos audientes territi fuimus, timentes, ne aliquid contra nos significaret sonus ille. In distributione panum miserunt ad diversorum nostrum sportam plenam pro nobis, et tamen nihil petieramus ab eis.

Viso ergo hospitali descendimus per longum vicum et ad unam civitatis portam venimus, sub qua porta locus est, ubi Joab, princeps militiae David, percussit Abner, principem militiae Saulis, propter quod David imprecatus est Joab maledictionem, ut patet 2 Reg. 3. Ulterius progressi sumus extra portam et ad piscinam venimus, quae muro pulchro inclusa est, et aquam recipit fluentem de valle Mambre stillantem. Hanc piscinam gyramus et eam consideravimus, quia in canonica Scriptura de ea mentio fit 2. Reg. XIV. Jussit enim David occidi duos latrones, Banaa et Rechab, filios Remon Beronitae, qui occiderant Isboseth regem Israel et tulerant caput regis in Hebron ad David, putantes, se nuntiare bona, et occisorum manus et pedes jussit suspensi super piscinam ante Hebron. Porro inter piscinam et civitatis murum est sepulchrum Abner, cuius exsequias solenniter celebravit David, ut dicitur 2. Reg. 3. In quo sepulchro etiam reconditum fuit caput Isboseth, filii Saul, regis Israel, ut dicitur 2. Reg. IV. Et his visis ingressi sumus in civitatem et reducti in nostrum diversorium et hospitium. Comparavimus ergo ligna et igne facto offam coximus et ova et manducavimus. Post coenam autem venit provisor diversorii et ignem nostrum extinxit et signis hortabatur nos, ut per noctem essemus quieti et silentes, ne latrones Arabum nos audirent, quia diversorium ad murum civitatis est situm, et aliquando latrones, quando sciunt ibi esse hospites, ascendunt per murum ad eos et spolia eorum tollunt (**b**) eosque graviter turbant. Insuper et portam diversorii firmiter clausit et lampadem juxtapendentem accedit et ad vigilandum juxta portam se locavit, quae omnia nobis placuerant, et mirabamur humanitatem illorum paganorum in nos. Timorem tamen habuimus, quod ante egressum

